Nobilissimo viro
Constantino Hugenio Equiti,
Zuilichemi domino etc.
S. P.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir nobilissime

Certatum diu ambiguè pacis negotium tandem extincto acerri[mae] hostilitatis odio arma aeternum sopire velle videtur. Tam ex[opta]ta plurimorum votis et lachrimis quies ut compacto in claustr[a] marte vexatis terris florescentem reddet faciem, ita quibusdam spem aperiet tentandae felicius fortunae. Me fati varie lacessentis hominem nonnihil erigit praecepta animo temporis istius beatitas, cum per grassantia bella redacto in commendationem angustias amicorum patrocinio, laxius experiundi facultas erit, qua succurrere liceat lapsis eorum rebus, quos sola fortunae acerbitas, offerendis emergendi occasionibus invida, fatigat. Hic cum Principum purpuratis meritorum area pateat, servatique civis laurea mercedes spondeat amplissimas, tum tibi inprimis, Vir Nobiliss. campus pandetur apud nos illustrandae, quae sequentibus aevis se conservat ex advigilante virtuti promoverenda prudentia, gloriae. Ingens clientium agmen curas istas ambientium, ut subintrare conor facit humanitas tua, tantis literati populi experimentis celebrata, quanto eruditionis effulget fastigio. Vitae istius alumnos, male culpa non sua habitos, soles quandoque (ut incidunt occasionis momenta) in accommodam doctis laboribus requi[em] inducere, reddita animi, ignobiliter alioquin sortem suam deprecantis, securitate, optimo studiorum coagulo. Huc quoque spectat operam tuam sollicitantis verecundia, quae et desidis arrogantiae, nunquam ambiendo, et stultae confidentiae, semper, notam effugit, metuitque duntaxat ne ejurato Musarum sacramento ingratum ad illiterata transfugium obtrudat necessitas, vitamque alio calentes sole mutare persuadeat. Quo ne redigantur suspirantes in imo fundo fortunae, tu, Vir Nobiliss. efficies isto tam benigno laborantibus et validi patrocinii genio. Quem mei loci obsequiis demereri si queam, felicitatis meae auspicia gratulari licebit. Vale Vir Nobilissime et egenti dolorem animo fave. Amstelodami. VII. Calendas May. CIↃIↃCXLVII.

N. T. addictissimus
Isaacus Gruterus

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4581

49 (2..
24

Gent

Myn Heer

Myn Heer

Constantin Hugens Ridder
heer van Zuilichem, en[de] Raad
en Secretaris van syn Hoogh[eit]
in

's Gravenhaag

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4581